

inundantes illos suae iracundiae fluctus coercent, iam peccatores non absorbet, nec eos exundat, quin potius praefixum habet terminum, ne ulterius progrediatur, naturam scilicet humanam, quae ad misericordiam illum alliciens ac movens ait (Job 38): *Usque huc venies, et non procedes amplius, et huc constringes lumentes fluctus tuos: hoc erit litus tuum, nempe humanitas tua, cuius minime oblivisci potes, nec ab ea oculos renovare, cum indissolubili hypostaticae unionis vinculo intime illam tibi copularis. His mirabilibus aliud insigne d. Bernardi subiticiam, quod (in serm. sup. Sign. magn.) his verbis scripsit: Iure istud molestissimum laedum, quo reliquae omnes gravidae muliee laborare noscuntur, sola non sensit, quae sola sine libidinosa voluptate consensit; unde et in ipso suae conceptionis initio, quando potissimum ceterae mulieres miserabiliter affliguntur, Maria tota alacritate montana contendit, ut Elisabeth ministraret. Ac tandem ut paucis multa sacrae huius conceptionis mirabilia complectar, d. Chrysologi elegantissima verba (ser. 2. de Annun.) in medium producam: *Ecce concipies in utero: bene concipies, quod caro nascit, quod conditio non habet, non admittit naturam. Quis ante ad fructum pervenit, quam terrae laborem sentiat, et sudorem? Quis ante poma carpit, quam plantae suam tribuat, et impendat industriam? Quis praeter viam ad villam pervenit mansionem? Quis praeter naturam, naturae suscipit incrementum? B. Virgo et bene b. Maria, quae praeter generandi curas, praeter materni doloris fastidia, tandem gemitus pervenit ad gloriam. Ad extremum, ut iam finem dicendi faciam, sequentia verba, *Et paries filium, nonnihil illustrare oportebit. Equidem quia conceptio b. Virginis futura non erat instar illarum, quarum meminit Isaias (c. 37) inquit: *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est parienti: ideo apposite satis angelus subiunxit ad verbum concipies, illud aliud et paries; ut significaret partum eius non abortivum, sed incolumem in lucem feliciter ecludendum fore. Quorsum autem loquendi et stylum, et ordinem mutaverit Gabriel angelus, ut eum dixisset Zachariae: *Uxor tua pariet tibi; B. vero Virgini non addiderit verbum tibi, sed absolute dixerit paries: arbitrator, in fallor, rationem fuisse, quod probe agnovit Virginem parturam non solum sibi, sed communi totius orbis saluti. Ea quidem pietas ac generosi animi commendanda conditio, ut commuae bonum praeferat peculiari emolumento. Invenies quandoque homines quosdam sibi soli tantum natos, aliorum commodum prorsus despicientes; secus autem b. Virgo peperit filium, non sibi soli, sed omnibus nobis. Nam quemadmodum in plateis, et quandoque in plateis civitatis fontes scaturire solent, ex quibus quisque pro libito haurit aquam ad bibendum, ad abstergendum sordes, et alios similes usus, in qualibetque hora porrigit tibi fons aquas, quoniam semper per fistulas manat; ad eundem modum b. Virgo fons est uberrimus, veluti per aureos canales aquam benedicti ventris tui, hoc est, Filium diffundens, cunctis bibere, vel suas sordes*****

mundare volentibus. Et quemadmodum urbs Roma patria vocatur communis omnium hominum, quoniam recurrentes ad Pontificem, summum Ecclesiae pastorem, benignissime recipiuntur, aethiops, graecus, barbarus, indus, denique omnes nationes in Christi vicario confugium habent, et protectionem reperiunt, ingressusque ad eum nemini interdicitur, non secus b. Virgo instar patriae communis cunctos suscipit, pro omnibus exorat, omnibus filium suum exhibet, quoniam peperit filium non sibi soli, sed omnibus. Regius Psaltes tantam b. Virginis miralul erga omnes charitatis magnitudinem, in eius commendationem cecinit (Psal. 86): *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Quaenam autem sunt illa, mox commemorans, in persona Virginis ait: Rahab et Babylonis scientium me: alienigenae, et Tyrus, et populus Aethiopiae, hi fuerunt illic, hoc est, omnes peccatores, quantumvis a Deo sint alienati, quantumvis Tyri, et Aethiopiae instar vixerint, quantumvis denigratae fuerint facies eorum super carbones, quantumvis innumeri, accedant in suis tribulationibus orem imploraturi, fores invenient patentes, hoc est, b. Virginem paratissimam ad eorum subventionem. Unde David inquit: *Nunquid Sion dicit, hoc est, b. Virgo, homo, et homo natus est in ea? minime quidem; neququam erit apud eam acceptio personarum, sed quantumvis plurimi concurrant ad hanc civitatem, nullum non recipiet, neminem abiciet, quoniam Deus Altissimus eam fundavit, ut omnibus unicum esset refugium. In impetrandis etiam beneficiis non erit morosior, aut cum supercilio aget, sed cum maximo gaudio, eodem regio Vata dicente (ibid.): *Sicut laetantium omnium habitatio est in te: aut sicut hebraice legitur: omnes scaturigines meae in te: hoc est, fontes mei per te, o mater mea, cunctis hominibus salutare aquas propinabunt, quam uberrimas ad bibendum, et ad eorum abluenda scelerum sordes. Praeterea observa, quo pacto utrumque coniunxerit angelus: *Concipies, et paries, quasi duo per se distincta beneficia, nempe conceptum, et partum: et merito, quoniam dare prolem in ventre, sive foetum, ingens Dei beneficium est; ceterum concedere prolem partum, multo cumulatius. Hoc advertant foeminae gravidae, et earum viri, caveantque ne ob eorum peccata infantes de utero transferantur ad tumulum, iuxta illud (Job 10): *Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Vellem quaerere a parentibus, quorsum credo foeminae patiuntur abortum? ego proculdubio causas necum saepius exquirens, id genus calamitatis peccatis parentum tribuendum esse censui. Et quidem quemadmodum triste est spectaculum videre ex arbore foribus onusta, mox flante Aquilone flores decidere, et oplato fructu fraudari; ad eundem modum moestum et commiserabile dignum spectaculum est, foeminae gravidam, ante fructus perfectionem in ventre, et cum vix in flore est, factum intra ventris claustra interire. Si autem queras, quisi florem in terram deiecit, aut ante tempus immature demersit, respondebo, flavisse Aquilonem, hoc est, peccata parentum fuisse cau-*****

sam abortus, ut apud Iobum testatur Eliphaz Themanites, dicens de peccatore (Job 15): *Laelatur quasi vinea in primo flore botrus eius, et quasi oliva prociens florem suum: certum est, per botros, et per flores intelligi filios hominum peccatorum, quos immaturos auferit Deus ob peccata parentum; et quemadmodum apud Isaiam (c. 56) Dominus ait: Triste et miserandum esse, videre frumentum in agro natum, viridem, et cum aliquantulum creverit in herbam ante, messem totum efflorescere, ac immaturam perfectionem germinare, ramusculosque falce praecidi; ad eundem modum lugubrem ac miserabilem eventum putaverim, cum foemina uterum praegnantem gerente et immaturum fructum intra viscera sua continente, immatura mors supervenit, falce sua illum metens, ante quam maturescat, et in lucem prodeat. Igitur pro viribus parentes operam navent, ne eorum proles, anima simul et corpore pereat, in tempore, quo foemina gravida existit, piis actionibus vacent, et ad Dominum ex toto corde convertantur. Tradit Plinius, *Lusciniam avem, solum tempore quo foemina super ova incubit, edere suavissimum cautum, cum tamen reliquo totius anni tempore ab omnino cantu se abstinens sileat, ad canendum tamen non aliud quam prolis amor cogit; non secus, cum foemina gravidatur, ad praecavendum infelicem foetus abortum, divinae laudis cantibus vacare debet, crebro repetens angelicam illam cantilenam, quam Gabriel ei cecinit: *Ave Maria, ut Filium Dei conciperet: cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.***

## HOMILIA XV.

*Post prolata illa verba: Ecce ancilla Domini, celebratas fuisse nuptias in virgineo Mariae thalamo inter Verbum divinum, et naturam humanam, ostendimus, variisque modis hanc nuptiarum metaphoram illustramus.*

Verbi divini incarnationem, seu illius cum natura humana hypostaticam unionem frequenter SS. Patres nuptiis comparasse reperio: d. enim Augustinus (in illa verba Psal. 18): *Tamquam sponsus procedens de thalamo suo, de Christo Domino ex virginis uteri thalamo egrediente illa interpretans, ait: Ipse procedens de utero virginali, ubi Deus naturae humanae, tamquam sponsus sponsae, copulatus est: et b. Laurentius Iustin. (lib. de casto connubio c. 9) ait: *Verbum sponsus, caro sponsa, virginalis uterus thalamus est: et latius d. Gregorius (homil. 38. in evang.) ubi haec praeclara scripsit: *Deus Pater, deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanae naturae coniunxit, cum Deum ante saecula fieri voluit hominem in fine saeculorum: sed quod ex duabus personis fieri solet nuptialis ista coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei, et hominis redemptoris nostri Iesu Christi ex duabus personis credamus unitam: haecenus magnus***

Gregorius. Merito hi Patres mirabilem hanc Verbi divini cum natura humana et ineffabilem unionem cum nuptiis, seu sponsalitiis componunt. Nam si rem altius perpendamus, nihil certe eorum quae in principum felicissimis connubiis, et sponsalitiis concurrere solent, in hoc sacro Verbi divini cum natura humana coniugio desideratur: sicut enim matrimonium principum antecedere solet sponsalitia, seu, quod idem est, de inendo connubio promissio, ita quondam de Verbi divini cum natura humana coniugio facta fuit firma, ac stabilis antiquis Patribus pollicitatio: Abraham enim dixit (Gen. 22): *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo, per memetipsum iuravi, dicit Dominus: in semine tuo benedicentur omnes gentes: similiter Davidi sub incremento pollicitus fuit (Psal. 31): *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Sicut etiam in matrimonii consensu sponsae ad illum inendum intervenit, ita in hoc sacro Verbi divini coniugio b. Virgo humanae naturae vicem generis assensum exhibuit, cum dixit (Luc. 1): *Ecce ancilla Domini, ut his verbis ingeniose docuit angelicus Doctor d. Thomas (3. p. q. 30, art. 1): *Congruum fuit b. Virginis annunciari, quod esset Christum conceptura, ut ostenderetur, esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, et humanam naturam, et ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanae naturae; haec ille: unde sicut in magnorum principum nuptiis nobilissimus orator, aut paranymphus praemiit solet, ut rem mature praefacet, et ad finem usque perducatur, sic ad celebrandas nuptias Verbi divini cum natura humana: *Missus est angelus Gabriel ad Virginem, qui ad consentiendum prudens suavor, et ipsius consensus non minus fidelis testis exiit, quam olim famulus Abraham, qui tamquam pronubus missus fuit ab eo ad quaerendum sponsam filio suo, et inveniens Rebekcam, in sponsam eam adduxit. Quod si item in nuptiis, et maxime regalibus, vir magna auctoritatis in patrum eligi solet, ad maiorem ipsarum nuptiarum splendorem, ita certe in hoc Verbi divini cum natura humana connubio minime desideratur: patrum enim munus gessit Spiritus sanctus, iuxta verba angeli (Luc. 1): *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obrumbrabit tibi. Solent praeterea principum nuptiae in ornatisimo ac splendidissimo thalamo celebrari: cum thalamo virgineo, in quo sacrae istae nuptiae celebratae fuerunt, nulli quantumcumque splendidi, valet comparari, ut d. August. de miro eius apparatu loquens, his verbis edocuit (serm. 17. de Nativ.): *Expansit nunc fides splendentis uteri pulchra tentoria, virtus obrumbrat, Spiritus sibilet, naturali calore desupulso, tenuis Virginem aura refocet, et fluente refrigerio spiramentis coelestibus ventiletur, alveus Virginis sericeis vervecundiae coronetur, flammis ibi rosae fulgor anhelat, albens illium candicet, mollis viola rotulet, purpurei spargantur flores, et vario nitore depictus Christi thalamus exornetur; haecenus d. Aug. Hunc eundem virginei thalami splendidissimum apparatus perpendens b. Laurentius Iustinian. (l.*******



de casto connub. c. 9) dixit: *Erat quidem b. Virgo thalamus puritate nitidus, moribus ornatus, et omni praeditus sanctitate, floribus aspersus, virtutibus decoratus, fragrans castitatis odore, claritate ferrens, virginitate redolens, pollens humilitate. Huc etiam faciunt, quae in haec verba scripsit Honorius super Cantica: Christus verus rex pacifera fecit sibi ferculum, lectum convecitalem, de lignis Libani, de patriarchis, et regibus, nempe Ierosolymitanis; nam, teste Theodoro, Libanus saepe significat hanc urbem. Virginem elegit, in qua, ut in lecto, recubuit ipse positus ad convivium, quia fides de carne eius epulatur, quam de Virgine sumpsit. Columbae, quibus fulcitur Virginitas vita, sunt quatuor evangelia de ea scripta; quae sunt, argenteae, veritate nitida, et praedicatione sonora. Reclinatorium aureum fuit corpus Dominicum de ea sumptum, in quo divinitas se reclinat, aureum, sapientia, et charitate ornatum. Ipsa etiam Virgo fuit reclinatorium, in quo Christus se reclinat, splendore charitatis fulgidum. Ascensus purpureus sancta crux fuit, in qua nobis Filius in sua passione ascensus ad coelos fuit. Media charitate constravit, idest, communem vitam eius dulcedine charitatis replevit; propter illam Ierusalem, hoc est, ad fideliorem imilationem.*

Ad haec: sicut in nuptiis mos inolevit, sponsam principis pretiosis monilibus exornari, variisque muneribus donari, ita quidem humanitas Christi, quae erat sponsa Verbo divino copulanda, prius natura fuit a divino sponso spiritualibus monilibus, celestibusque charismatibus cumulata, ut in figura eius apud Genesis factum (cap. 24) legitur cum Rebecca, anequam cum Isaac nuberet. Abraham enim misit per famulum suum Rebecca futuri filii sui sponsae in aureas aureas, et armillas, praeter splendidas vestes, et pretiosa vasa, prolatisque vasis argenteis, et aureis, ac vestibus dedit ea Rebecca pro munere: addidit sacer textus, et matri dona obtulit: quod non obscure etiam praefigurabat dona, quae futurae Matri Dei tempore sponsationis Verbi divini cum natura humana erant conferenda. Et quidem si tanta fuit regis Assueri liberalitas erga sponsam suam, ut sacra Scriptura dicat (Esth. 2): *Quaecumque voluit Egeus eunuchus, custos virginum, haec ei ad ornatum dedit.* quanto quaeso maior credenda erit magnificentia divini sponsi in exornanda sponsa, quam absque ulla expensis, solo verbo, innumeris animi dotibus, variisque virtutum ornamentis facile coonestare poterat? Sponsa igitur, et virgineo thalamo a sponso sic iam praeparatis, et consensu ipsius sponsae iam exhibitio, mox celebratae fuerunt nuptiae, quando Verbum caro factum est: ut enim dixit d. Augustinus (serm. 17. de Nativ.): *Nec mora, recepit nuntius, et nuptialem thronum ingreditur Christus: accepit stolam carnis in thalamo Virginitatis, divinitatis sponsatur homo: tunc certe facta est ardensissima illa unio hypostatica Verbi divini cum humanitate, quae omnem, quantumcumque perfectam ac indissolubilem unionem, longo intervallo superat. Stricta valde est unio animae et corporis, arcta satis unio matrimonialis inter virum, et uxorem, sed utra-*

que tandem morte dissolvitur: et unio Verbi divini cum natura humana indissolubilis a Deo esse perhibetur, ut acutissimus etiam mortis gladium nodum eius rescere nequiverit, theologorum axiomate, et d. Anselmo dicente: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Legimus (Gen. 2) de illo primo matrimonio Adae, et Evae: *Erunt duo in carne uno;* de hoc tamen sponso, et sponsa, Verbo scilicet divino, et natura humana, fide catholica conflentur, esse duo in persona una, hoc est, naturas duas divinas, et humanam, in unam, eandemque copulari personam. Atque hinc fit, quod sicut in reliquis connubiis, ac nuptiis solet esse multa inter sponso bonorum communicatio, ita in hoc sacro Verbi divini cum natura humana coniugio fuit illa inter theologos nunquam satis celebrata, multa, ac reciproca idiomatum communicatio, cuius meminit d. Ioannes Damascenus (li. 3. fidei c. 4) dicens: *Cum de persona verba facimus, sive ab utraque parte simul, sive ab altera dumtaxat eam appellamus, utriusque naturae proprietates ipsi imponimus; etenim Christus et Deus, et homo dicitur, et creatus, et increatus, et passibilis et impassibilis; Deus passibilis nominatur, et Dominus gloriae in crucem actus, non qua Deus est, sed qua idem etiam homo est; eodemque modo cum homo, et filius hominis appellatur, divinae essentialis proprietates atque ornamenta suscipit: puer enim aevo omni antiquior dicitur, et homo principii expers; non id quidem qua ratione puer, et homo est, sed qua Deus omni aevo prior, ab extremo puer factus est; hactenus d. Damascenus.*

Ex his facile colligo excellentiam harum nuptiarum super celebratissimas illas, et a sanctis Patribus variis encomiis decantatas Galilaeae nuptias: nam in his unum dumtaxat, quod sciamus, miraculum de Virginitate praeter patrulam fuit; in istis vero vere infinita miracula confluxerunt: in illis post verba Mariae dicentis (Ioan. 2): *Fili, vinum non habent,* aqua in vinum conversa est; in his vero Mariae proferente: *Eccc Ancilla Domini,* continuo Verbum caro factum est. Quod singulare opus d. Damascenus (orat. 1. de Annun.), miraculorum omnium caput merito appellavit: in illis nuptiis natura deterior mutata est in meliorem, aqua scilicet in vinum; in his vero persona infinita dignitate praeeccellentior naturam assumpsit immensa intercapedine inferiorem; in illis fuit conversio naturae unius in alteram; in his nullus fuit naturae transmutatio, sed duae naturae, divina et humana in unam eandemque Verbi personam copulatae permanserunt. Haec sane adeo portentosa miracula esse noscuntur, ut nulla unquam maiora orbem vidisse merito putem. Vidit quidem olim in tempore Iosue sollem stantem, et tempore Ezechiae retrogradientem; at nunc videt Deum, se ipsum exinanientem; ut verbis Pauli utar: vidit in igne conservatum rubi viriditatem; nunc videt in conceptione Mariae conservatam matris virginitatem: vidit Aaronis virgam absque humano colore flurentem; nunc videt lesse virgam absque humana operae optatum mundo fructum parturientem: vidit virgam Moysis in serpentem commutatam: hic videt humanam naturam cum Verbi supposito

copulatum: vidit mare apertum; hic videt, quod mirabilis est, Virginitatis matris uterum claudum: vidit ventum mare rubrum exicantem; hic videt Spiritum sanctum Mariam afflantem, et in concilio viscerum eius pretiosam margaritam procreantem. Haec considerans Ecclesia catholica Virginem alloquitur ait: *Tu quae genuisti, natura mirante, tuum sanctum Genitorem.*

Rursus, si ad nuptias alacrius celebrandas solent varii ludi intermisceri, certe in his sacris nuptiis ludus ille nobis satis utilis minime defuit, in quo per unionem hypostaticam natura humana lueralata esse personam divinam, quo lucro nullum maius non solum angelica intelligentia fingi, sed nec mente divina concipi potest. Verum ut miraculosum hunc ludum elucidemus, in memoriam revocare oportet celebrem Platonis sententiam (lib. 7. de legibus), quam etiam refert Marsilius Ficinus (in Cratillo), ubi ait: *Homo iocus est, ludusque deorum: quae sententia tanto mihi aridet, quanto similem illam esse observavi Salomonis sententia dicentis (Prov. 8): Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: et egredietur de eis laus, quae filius hominum: quibus verbis, praeterquam aeterna sapientia sub metaphora ludi ostendit tanta facilitate, et luciditate universam mundi machinam formasse, eamque perpetuo regere, ut instar ludi, eius creatio, et gubernatio sibi esse videretur; unde Boetius (de consol. Philos. li. 2. prosa 2), in persona aeternae sapientiae loquens dixit: Haec nostra vis est, hunc continentium ludum ludimus, rotam volubili orbe versamus, infans summis, summa infans nutare gaudemus: praeter hoc, inquam, ostendit instar iucundi ludi sibi fuisse unionem hypostaticam cum natura humana: Et deliciae meae esse cum filio hominum: cui sane intelligentiae, non parum mihi opitulari videntur verba illa (Prov. 8): Ludens coram eo omni tempore: nam cum Spiritu sancto moneat non omni tempore ludendum, et ridendum esse: Tempus, inquit, stendi, et tempus ridendi: tempus plangendi, et tempus saltandi; tempus amplectendi, et tempus longe ferri ab amplectibus: certe dum ait (Prov. 8): Ludens coram eo omni tempore, facile mihi persuadeo ludum illum, et amplexum fuisse, unionem Verbi cum humana natura perpetuo, et incessanter, in aeternum, et ultra duraturam. Huius ludi egregiam figuram illum admissum delineantem reperio in ludo Isaac cum Rebecca, cuius mentio fit ad caput Genesis 26. in haec verba: *Prosperians Abimelech per fenestram vidit Isaac iocantem cum Rebecca uxore sua: quem iocum explicans d. Augustinus (cont. Faust. tom. 5. lib. 22. c. 64) ait: Quid autem velit, quod sanctus patriarcha cum coniuge sua iuserit? vidit profecto quisquis, et invenit eum iocantem suam, qui in forma Dei aequalis est Patri, paulisper abscondisse in forma servi, ut eius capax: esse humana infirmitas posset, eoque modo se coniungi congruenter optaret. Quod si quisquam interroget, quodnam genus ludi fuerit illud Isaac cum Rebecca, respondet Glossa (super c. 26. Gen.): Vidit eum amplectantem, vel osculantem Rebecca. Similem iocum desiderabat sponsa, cum dicebat: Osculetur me osculo oris sui: hodieque impletum est eius desiderium, Verbo divino humanam naturam osculante, et indissolubili hypostatica unionis vinculo illam amplectente. Quia tamen in nuptiis, non solum sponsi, sed et invitati ad nuptias iubilant, ludunt, et prae nimia alacritate tripudiant; oportet etiam, ut nos pariter spiritu laudemus, et divinas laudes cantantes iubilemus, Davidem imitantes, qui olim iussit coram arca, humanitatem Christi praefigurante; unde Rupertus (super lib. Reg. 2. c. 16) praecclare dixit: *Arca mirabilis totus in se continens thesaurus universae divinitatis, fabricatae humani corporis, quod Dei Filio Spiritus sanctus de virginali utero compegit, et huius arca illa typus exiit.* Praeixerat olim Ieremias huius laudis, et exultationis ludum, quem ante hanc sacram humanitatis Christi arcam catholica Ecclesia exercere debet, sique vaticinatus fuit Ieremias (c. 30): *Templum iuxta ordinem suum fundabitur, et egredietur de eis laus, eoque iudicium: praecipuum huius ludi magistrum h. Virginem extitisse non obscure mihi videtur idem Ieremias (c. 31) praedixisse: Aedificaveris Virgo Israel: adhuc ornaberis tympanis tuis, et egredietis in choro ludentium. Sed prohi dolor! quam pauci hanc divinam choriferae, ac sacrum tympanistrum sequentes, divinae laudis aliquo iudicio ludo vacare non student, cum tamen a profanis, et obscenis ludis nunquam se abstant, quorum unus adeo perniciosus esse perhibetur, ut non solum divina eloquia, sed et humana iura, et principum statuta varia suppliciorum genera luseribus praefigant. Iob (c. 11) ait: *Infantes coram exultant iustibus, et statim subdidit: Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt;* et Moyses scelera populi israelitici a Deo vindicanda narrans, inquit (Exod. 31): *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere: ubi observandum est, ibidem etiam narrare Israelitas simul coniunxisse ludum cum adoratione vitulos, quo non obscure mihi significatur, alearam luseros magis earum adorationis, quam Dei vacare solitos; sicut enim d. Paulus (Phil. 3) de opipare comedentibus dixit: Quorum Deus venter est, non dissimiliter de luseribus veracissime dicemus, quorum Deus alearam ludus est, cum alacrius alearam figuras quam sacras imagines intuentur. Iura deinde civitas aedo ludos excecatur, ut a republica illius arcedi gratia reges catholici Hispaniarum Ferdinandus, et Elisabetha (lib. 8. nov. recompilat.) hanc legem condiderint, ne quis ultra duorum argenteorum quantumque posset ludo exponere, et violatores huius legis pro prima vice viginti quatuor argenteis mulctari praecipit, pro secunda triginta sex, pro tertia quinquaginta quatuor: et in lege octava eiusdem tituli rex catholicus Ioannes statuit, ut qui domum suam ad huiusmodi alearam ludos pararet, pro prima vice solveret centum et quinquaginta argenteos; quod si non esset par solvendo, poenas per dies centum in carcere lueret; et rursus in legibus partitularum, titulo 10. l. 8. statuitur est, ut frequentes hi alearam luseros****



non possent in iudicium tamquam testes adduci in causa criminali, quod genus supplicii infamium hominum esse solet. Immo, quod mirabilis est, iurisconsultus Ulpian. (in l. 1. ff. de aleatorum lusu, et aleatoribus) statuit, quod quamvis quispiam probaretur et convinceretur furto aliquid surripuisse tempore ludi in domo eius, qui lusorium mensam omnibus ad ludendum exponit, impunis omnino relinqueretur: sicut enim iura civilia in adulterii odium permittunt viro homicidium, ita in ludi detestationem permittit voluit Ulpianus furtum. Quod si saeculares homines huiusmodi ludis arentur; quis non videat nullo magis ecclesiasticis personis decorei esse? unde presbyterus aleatores non solum ludere, sed ludendum inspectores esse frequenter sacri Canonis prohibere. Authentica enim de sanctis Episcopis (collat. 9) dicitur: *Nec participes erunt ludentibus, nec inspectores: et (cap. Clerici, de vita, et honest. clericor.)* haec verba habentur. *Ad aleas, et taxillos non ludant, nec ludentibus intersiat: et (cap. inter dil. de excess. Praelat.)* Bonifacius Papa ait: *Nos autem, qui ex officii nostri debito stem huiusmodi castigare proponimus, ludos voluptuosos, quibus sub quadam caritativitatis imagine ad dissolutionis materiam decedunt, improbamus.* Ac tandem (in cap. Episcopos 33. d.) presbyter ludo deserviens communione privatur. Observant nam semel natae, quod cum maris delphini inter se ludunt, imminens tempestatis praesagium id sit certissimum, non secus ergo magnum reipublicae imminere detrimentum arborum, cum ecclesiastici, catholice Ecclesiae delphini, qui alioquin divinis laudibus, ac piis exercitiis incumbere deberent, alearum ludis vacant: maxime cum experientia ipsa doceat, ludorum individuos comites, ut plurimum, esse alienae pecuniae cupiditatem, peritium, blasphemiam, contumeliam, fraudem, temporis amissionem, rixas, et contentiones non paucas. In cuius figuram legimus (2. Reg. 12), quod post ludum puerorum David, et Isobeth secutum est grave atque crucientum bellum: atque propter haec vitanda, non contemnenda detrimenta, s. Tobias adeo a ludis se abstulit, ut nec eis unquam interesse vellet: *Nunquam enim ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulat, participem me praebui.* Porro ut ad nuptias Verbi divini cum natura humana, unde nonnihil digressi sumus, redeat oratio nostra, in memoria revocanda sunt tria illa, quae d. August. (l. de nup. et concupisc.) in matrimonio contemplabatur, sacramentum, fidem, et prolem, in hoc sacro connubio mirifice effulgere: nam in primis cum sacramentum idem sit, quod sacrum mysterium, et inter omnia opera Dei nullum magis reconditum arcanum quam Verbi Dei incarnationem catholica fides profiteatur, satis superque constat in hoc sacro matrimonio rationem sacramenti non defuisse. Sed nec fidem, seu fidelitatem desiderari, id satis probat, quod humanitas Christi tum propter unum ad Verbum, a quo regebatur, tum propter certissimum beatifici amoris vinculum, non poterat ullo modo fidelitatis sponso debita iura violare. Ac tandem desiderata proles hinc

matrimonio minime defuit, cum iusti omnes Christi partus sint, et filii legitimi, ut Isaias (c. 50) praedixerat: *Omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longe venient, et filiae tuae de latere surgent: et ibidem inquit (c. 66): Nunquid ergo, qui alios parere facio, ipse non pariam? ubi observare oportet, consulto non dixisse: ego qui alios gignere facio, ipse non gignam? sed, ego, qui alios parere facio, non pariam? ut significaret se filios suos in lecto crucis peperisse, inauditos instar parturientis subnientem cruciatu, iuxta illud eiusdem Isaias (c. 53): *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longevum.**

De his filiis Ioannes obscura illa verba dixit: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* quae propter suam difficultatem antiquos Patres in varias abire sententias compulerunt. Difficultas autem ex duplici capite oritur, tum quia illi, qui Christum, ut oportet, receperunt, hoc ipso Filii Dei actu fiebant, non ergo potestatem tum accipiebant, ut fierent filii Dei; tum quia, etiam qui Christum nondum receperunt, sicut potestatem habent credendi, quae nunquam crederentur, Aug. (lib. de spiritu, et litera) dicitur: *Posse credere, natura hominis est: credere autem, gratiae Dei est.* Theophylactus, ut haec solvat, varias adhibet interpretationes. Prima est, quod quamvis recipientes Christum filii Dei statim sint, tamen necessaria est custodia, et vigilantia, ut conserventur, ne acceptam adoptionem filiorum amittant: dicuntur ergo habere potestatem, *Filios Dei fieri,* quia etiam si tunc, dum recipiunt Christum, filii sint, tamen eorum in potestate est hanc filiationem habere, et conservare. Secunda eiusdem Theophylacti expositio est, ut per recipientes intelligamus catechumenos, qui fidem habent ante baptismum, per quem gratia adoptionis datur; et hinc ergo per fidem nondum regenerati sunt, nec filii Dei facti, quousque baptizentur: baptismus enim est, quo homines nascuntur in Spiritu, et fiunt filii Dei; habent tamen credentes potestatem, et facultatem suscipiendi baptismum, et per eum renascendi. Nec obstat huic, quod aliqui ante baptismum gratiam filiorum aliquando accipiant: id enim fit per baptismum in voto susceptum: eius enim tanta est efficacia, ut antequam re suscipiatur, operetur per votum in credentibus. Tertia est ad eodem Theophylacto, ut per hanc potestatem intelligamus adoptionem filiorum perfectam, quae in gloria datur: sunt quidem in hoc saeculo filii, adhuc tamen minus perfecte adoptati, et propterea dicti sunt recipisse potestatem filios Dei fieri, quia id perfectionis nondum consecuti sunt. Cui expositio consonare videtur locus Pauli (ad Rom. 8): *Et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes;* et tamen Apostolos in hoc saeculo filios fuisse nemo negaverit. Quarta est d. Chrysostomi (homil. 9. in Joann.) asserentis, dictum esse: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri,* ut significetur motus liberi arbitrii: sic enim homo adultus filii Dei Filius, ut libero arbitrio concurrat ad credendum, ut fiat filius Dei. Quinta est Ambrosii (lib. 4. de fide cap. 4) docentis, cum Augustino

(lib. 2. de cons. Evangel. cap. 3. et in epist. 120. ad Honorat. cap. 3), hanc particulam esse positam, ut hominum filiatio distingatur ab illa Verbi, quia Verbum Filius etiam Dei est: nostra quippe filiatio adoptio est, Verbi vero naturae: nostra potestatis, illius proprietatis: Deum enim nos filios habere, potestatis est, quia voluit facere; ad habere Verbum filium, est proprietatis, et naturae Ipsius Dei: sensus ergo erit: *Dedit eis potestatem, ut sint filii Dei,* quia natura non sunt filii, sed gratia; Verbum natura Filius est, ob id non habet potestatem filiationis. Athanasius etiam (ser. 3. contra Arian.), cui consensit Cyrillus (lib. in Ioann. cap. 14), dicit, hanc potestatem esse gratiam, ut sint filii ex gratia, non ex natura. Sexta est d. Gregorii (homil. 6. in Ezech.) exponentis, ut per potestatem dignitas, et excellentia significetur, ut sit sensus: *dedit eis hanc dignitatem, et excellentiam, ut filii sint Dei:* verba ipsius sunt: *Qui cum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri: quid hac potestatem altius? quid hac altitudine sublimis dici potest? in qua creatus quisque effectus filius Creatoris?*

Illud tamen merito quispiam dubitare posset, quomodo Ioannes dicat, Christum Dominum dedisse suo adventu potestatem hominibus, ut filii Dei fierent, cum etiam in veteri lege fuerit similis potestas: fuerunt enim multi peccatores iustificati, et facti filii Dei; prius igitur habuerunt potestatem, ut in adoptionem filiorum reciperentur. Omissis aliorum interpretationibus, quae a scopo longe aberrare nihil videntur, in hunc modum praesentem nodum solvendum esse reor, quod aliud est filium esse, aliud autem habere statum filii: infantes, et pueri filii sunt, tamen statum filii nondum habent: status filiorum est libertas, et quod sui iuris sint, possintque pro arbitrio disponere de suis; quod non habent filii, nisi in aetate legitima. Hoc idem reperitur in ista adoptione Dei. In lege veteri iusti filii veri erant, ut nos, tamen parvuli: his enim comparat eos Paulus: statum filiorum nondum habebant, erant sub lege timoris, et sub paedagogio, et sub aetore, et quantum ad statum, servi fuerunt; longe autem differunt haec duo, esse servum conditione, at esse servum statu, et forma vivendi: erant illi conditione filii, statu servi propter legem, sicuti infantes; et in evangelio per Christum remota est lex veteris, recessit paedagogus, pervenit ad aetatem iustus, in Christo libertate donatus est, de qua (ad Galat. 4): *Non sumus ancillae filii, sed liberae, quia libertatem Christus nos liberavit:* ob id statum filiorum habemus. Hoc totum divine docet Paulus in eo capitulo, iustos illos sub lege comparans filio ancillae Abraham, nos filio liberae; utique tamen filius est, sed illi ancillae propter statum servitutis, nos liberae propter statum libertatis, et potestatis; unde hoc dicit (ib.): *Iam non estis ancillae, sed filii liberae;* utriusque tamen filii erunt Abraham. Adoptio igitur est in evangelio perfecta, quantum ad statum libertatis, ob id in evangelio datur haec adoptio; verum tamen non est completa in hoc saeculo, quia iustus mente liber est, carne ta-

men servit; in gloria autem consummata ab omni peccato, et miseria consequetur libertatem, et ob id dicitur iustus expectare adoptionem filiorum (Rom. 8), non quod non sit filius adoptionis in hoc saeculo, sed quia nondum, ut diximus, integrum consecutus est libertatem: itaque iustus olim sub lege filius quidem erat, tamen enim adoptionis statum consecutus non erat, qui est in evangelio. Ipsemet Paulus id explicavit, quando dixit, iustos etiam nunc gemere, et expectare adoptionem filiorum: et ne quis putaret eos non esse nunc filios adoptionis, paulo ante hoc verbum declaravit: *Liberabitur creatura a servitute corruptionis, in libertatem gloriae filiorum Dei;* quasi dicat: filius est nunc iustus in evangelio, tamen nondum totam libertatem, nempe a corruptione, consecutus est, donec perveniat ad gloriam, et hoc est expectare adoptionem filiorum. Quam doctrinam patris verbis perstrinxit d. Chrysostomus (hom. 13. in Ioan.) dicens, Iudaeos habuisse adoptionem filiorum, sed spiritum servitutis. Atque hinc colligo rationem, ob quam olim iustus sub lege, etiam purgatus, non paterit ianna coelestis, sicut modo patet: certe illi parvuli erant, et parvulis non datur haereditas, etiam mortali parentibus, donec perveniant ad legitimam aetatem; haec autem legitima aetas fuit plenitudo illa temporis, in qua Deus misit Filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus: et ideo ianna ad aeternam haereditatem, quae nunc nobis aperta, illis tunc obscurata erat.

Ad extremum in eo haec nobilissima natiura Dei filiatio omnem aliam creatam filiationem transcendit, quod illa non ex sanguine esse, aliud autem habere statum filii: infantes, et pueri filii sunt, tamen statum filii nondum habent: status filiorum est libertas, et quod sui iuris sint, possintque pro arbitrio disponere de suis; quod non habent filii, nisi in aetate legitima. Hoc idem reperitur in ista adoptione Dei. In lege veteri iusti filii veri erant, ut nos, tamen parvuli: his enim comparat eos Paulus: statum filiorum nondum habebant, erant sub lege timoris, et sub paedagogio, et sub aetore, et quantum ad statum, servi fuerunt; longe autem differunt haec duo, esse servum conditione, at esse servum statu, et forma vivendi: erant illi conditione filii, statu servi propter legem, sicuti infantes; et in evangelio per Christum remota est lex veteris, recessit paedagogus, pervenit ad aetatem iustus, in Christo libertate donatus est, de qua (ad Galat. 4): *Non sumus ancillae filii, sed liberae, quia libertatem Christus nos liberavit:* ob id statum filiorum habemus. Hoc totum divine docet Paulus in eo capitulo, iustos illos sub lege comparans filio ancillae Abraham, nos filio liberae; utique tamen filius est, sed illi ancillae propter statum servitutis, nos liberae propter statum libertatis, et potestatis; unde hoc dicit (ib.): *Iam non estis ancillae, sed filii liberae;* utriusque tamen filii erunt Abraham. Adoptio igitur est in evangelio perfecta, quantum ad statum libertatis, ob id in evangelio datur haec adoptio; verum tamen non est completa in hoc saeculo, quia iustus mente liber est, carne ta-



vertant, magni Leonis rugitum audientes: *Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et dicinae consors factus naturae, noli in velerem vitalitatem degeneri conversatione redire*: quibus non dissimilia lego alibi apud eundem (*ser. 6. de Natio.*): *Genus electum, et regnum regenerationis suae respondeat dignitati; diligit, quod diligit Pater, et in nullo ab auctore suo dissentiat. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

## HOMILIA XVI.

*Ad elucidandum incarnati Verbi mysterium in Mariae utero celebratum, varia, ac multiplici sanctorum Patrum eruditione, uberrimaeque animi conceptionum copia explicantur verba illa d. Iohannis: Et signum magnum apparuit in caelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.*

Quamvis permulti sanctorum Patrum, Gregorius (*lib. 34. moral. c. 7.*), venerabilis Beda, Andreas Caesariensis, Primasius, Richardus, Victorinus, Rupertus, Methodius (*in c. 20. Apocal.*), proposita verba de Ecclesia catholica intelligenda esse censent, non pauci tamen doctores de beatissima Virgine in sensu mystico illa explicant: hi sunt d. Epiphanius (*ser. de laud. Mariae*), Augustinus (*lib. 4. de symb. ad Catech. c. 1.*), Bernardus (*ser. sup. signum mag.*), Aymon (*sup. cap. 20. Apoc.*), Ansbertus (*in c. 20. Apoc.*), Gagneus (*sup. c. 20. Apoc.*), et Dionysius (*l. 2. de doct. Chr. c. 1.*): horum Patrum doctrinae insistentes, huius visionis abdita mysteria reserare aggrediar.

*Signum* quidem, ut auctor est d. Augustinus, est res, quae praeter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius rei cognitionem nos facit venire; unde merito archipropheta novae legis Iohannes beatam Virginem *signum* vocavit, cum praeter cognitionem sui in notitiam Verbi incarnati nos faciat venire: per matrem enim cognoscimus Filium, et cum Mater pariter sit, et virgo integerrima, Filium Patrem in coelis habere oportet; et cum id non virtute naturae, sed Spiritu sancto adumbrante factum sit, tandem in sanctissimae Triadis, Verbi divini incarnationis, ac illius b. virginitalis Deiparae, et aliorum arcanorum cognitionem perducimus; quae adeo portentosa esse perhibentur, ut omnium scientiarum genere peritissimi, illa perpendentes, non solum mirerentur, sed stupescant, et expavescant. Stupet linguae Latinae peritissimus, si fas est verbis parumper ludere cum insigni doctore Alano, videns, idem Verbum simul esse activum, passivum, neutrum, et deponens: activum quidem, quia *per ipsum omnia facta sunt*: passivum, passibilem carnem assumens, et in passione sua multa adversa patiens: neutrum, dum in triduo mortis, nec erat in rigore hominis, dissoluta iam unione inter animam, et

corpus, quae ad constitutionem hominis necessario requiritur: fuit etiam in resurrectione deponens, cum humanis miseris exutus, carnis mortalitatem deposuit. Unde ingeniose doctissimus ipse Alanus cecinit:

Exceptivam actionem,  
Verbum Patris exiit;  
Dum deludit rationem,  
Dum naturam decipit.  
Causalem dictionem  
Ab utroque recipit.  
Actioque passionem  
In hoc verbo concipit.

Stupet eloquentissimus rhetor, capere non valens eundem mortalem, aeternum, et temporalem, immensum, et parvum, pauperem, et divitem. Unde idem Alanus:

Peregrinat a natura  
Hominis positio,  
Dum in Dei transit iura  
Hominis conditio.  
Novus tropus in figura,  
Nova fit translatio.  
Novus color in iunctura,  
Nova fit constructio.

Stupet hic solertissimus dialecticus, audiens ex duobus principiis, infinito intervallo distantibus, cuiusmodi sunt, Deus, et homo, velut unicam conclusionem inferri: *Et Verbum caro factum est*:

Intra locos locum nescit  
Locus a contrariis,  
Suum locum exsuperavit,  
Exceptum ab aliis:  
Sic ex linguis obmutescit.  
Fallitur in propriis,  
Et ex suis erubescit,  
Logica fallacis.

Stupescit hic arithmeticus, dum penetrare non valet, quomodo unum suppositum duplicem habeat naturam: quomodo in suppositalitate una naturae duae impermixtae subsistant:

Dum ab uno non recedit,  
Alteratur unitas,  
Dum in unum se concecit,  
Unitor alteritas.  
Indivisum idem cedit  
In idem diversitas.  
Suum tamen non excedit  
Limitem simplicitatis.

Stupet geometra, dum genus hoc mensurae non capit, ut infinitum finito, aeternum temporali, immensum parvo corpusculo concludatur:

Suae artis in caesura,  
Geometria fallitur,  
Dum immensum sub mensura  
Terrenorum sistitur.  
Indirectum, cui natura  
Circuli convertitur,  
Sphaeram claudit quadratura,  
Et sub ipsa clauditur.

Stupet hic disertissimus musicus, dum capere non potest, quomodo iuler se consentiant vox Dei, et vox hominis, ita ut loquente homine, loquatur Deus, et loquente Deo, loquatur homo: est enim haec inaudita proportio concertus:

Dum factoris, et facturae  
Mira fit coniunctio,  
Quis sit modus ligaturae,  
Quis ordo, quae ratio,  
Quae sint vincula, quae iuncturae,  
Qui gombi, quae unio.  
Stupet, suo fracto iure,  
Musica proportio.

Hic tandem stupet, et expavescit sapientissimus astrologus, dum solem eclipsari, et non obscurari, decessima nube operiri, nihilque sui splendoris, ac lucis amittere intuetur:

Solis lumen nubie lectum  
Se nobis velamine  
Per se clarum fit obiectum,  
Nec habet in lumine:  
Nostrum vergit in defectum  
Sol ortus in Virgine  
Infectum dans effectum  
Illud in caligine.

Merito igitur Iohannes vocavit b. Virginem, *signum magnum*, cum per illam in earum rerum cognitionem, quam omni scientiarum genere praedit ingenii sui acumine consequi non poterunt, nos fide praelucente, veniamus. Hoc magnum signum contemplant, et admirans d. Bernardus (*ser. sup. sign. mag. app.*) ait: *Quomodo in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit?* ferunt historici, licet creditu difficile videatur, Salamandram sanam, et incolumem in medio ardentis ignis persistere: mirabile quidem id est, sed naturae ordinem non transcendit; sed inter miranda naturae prodigia connumeratur. At quod tenella Virgo intra medium ardentis solis globum, stellis redimita, et lunam pedibus calcans, rutilanti vultu compareat, totam facultatem naturae longe superat, et omnipotentiam Dei adeo ostentat, ut Iohannes dicat (*Apoc. 12*): *Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole*. Quis enim quaeso magnum diffiliciter prodigium, eodem genere vestimentis, quo Creator, indui creaturam? nonne Deus luce vestri dicitur (*Psal. 103*)? *Amictus lumine, sicut vestimentis*: luce etiam splendentis solis Maria vestitur: *mulier amicta sole*. Hinc sane inferre licet eximiam b. Virgine excellentiam; tum, quod quemadmodum in solem prae nimia eius claritate, et splendore humanus intuitus fixa acie intendere non potest, ita beata Virgo tot, ac tantis sanctitatis splendoribus coruscat, ut non solum humanae, sed neque angelicae mentis acies, nisi divino lumine corroborata, in eam intendere possit; tum, quod quemadmodum sol, neque per unicum temporis momentum, claritate, et splendore caruit, sed semper tenebras nesciens, fulgentissimus fuit, ita beata Virgo, nec per unicum instans, peccati alicuius etiam originalis tenebris obscurata fuit, sed semper gratiae luce perfusa, quae semper lucis, et

splendoris amictu vestita esse perhibetur, ut ait Iohannes (*Apoc. 12*): *Mulier amicta sole*. Certe Christus Dominus dixit (*Joan. 3*): *Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius*: cum ergo beata Virgo a principio suae conceptionis amicta sole in caelo Ecclesiae catholicae comparuerit, non timet argui, sui convinci posse de peccato, immo fidenter usurpat Filii sui verba (*Joan.*): *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quasi dicat: nullus. Unde in hoc valde superat b. Virgo reliquos omnes sanctos, quod si imago vitae eorum depingatur, oportebit, ut pictoribus consuetum, sanctitatis eorum claritatem cum peccati obscuritate, variisque imperfectionum umbris eam describere; quia, ut ait Iohannes (*ib.*): *si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*: itaque ad depingendam vitae aliorum sanctorum imaginem oportet penicillium non tantum splendentibus virtutum coloribus, sed nigro peccati atramento intingere; at Iohannes, supremus depingendi artifex, beatam Virginem depingere volens, in solis tantum fulgentissimis radiis penicillum intinxit; et ideo ait (*Apoc. 12*): *Mulier amicta sole*, ut significaret, in hac imagine minime inveniendas, velut in aliis, caliginosas peccati umbras, quae obscuritatem inducunt. Sed illud adhuc manifestius b. Virginis excellentiam ostentat, quod in conspectu solis iustitiae, qui propter eius infinitatem, et immensitatem adeo creaturas omnes superat, ut Isaias (*c. 40*) dicat: *Quis non sinit, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatae sunt*: ipsa, inquam, in conspectu tantae magnitudinis magna esse dicitur a Iohanne (*Apoc. 12*): *Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole*. Scio Iohannem Baptistam magnum coram Deo vocatum fuisse a d. Luca (*cap. 1*): *Erit enim magnum coram Domino*: tamen, sicut teste d. Paulo (*1. Cor. 15*): *Alia est claritas solis, alia claritas stellarum*; ita longe diversa, et inferior est magnitudo Iohannis a magnitudine Mariae, sicut longo intervallo superat magnitudo dignitatis Matris Dei magnitudinem dignitatis praecursoris Domini: tanta ergo magnitudine magnitudo Iohannis a magnitudine Mariae, et immensae Dei magnitudinis, inauditam sanctitatis magnitudinem ostendit. Certe sol centum sexaginta vicibus, ut astrologi demonstrant, magnitudine terram superat, et tamen nobis exiguum apparet; beata autem Virgo in caelo constituta, a Iohanne in terris degente videri potuit, tamquam signum magnum: quod sane aperle indicat, tantum esse eius magnitudinem, ut nulla quaecumque summa distantia oculis eam abripere potuerit: reliqui sancti in caelo positi prope Virginem a nobis in terra degenibus nequaquam videri possunt: unde b. Petrus Damianus (*ser. de Assump.*) ait: *In illa inaccessiblei luce perluens, sic utrorumque spirituum, id est, hominum, et angelorum, hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere*; beatae autem Virginis magnitudo tanta est, ut illam neque Christi Solis iustitiae eam ambiet splendor, et magnitudo obruat, neque quaecumque summa distantia eam videre obsit. Illud tamen examinandum



restat, quo sole dicatur a Ioanne b. Virgo amnita. Crediderim procul dubio, non loqui de solari planeta, qui in quarto coelo residet, cum beata Virginem in supremo omnium coelorum viderit directus Ioannes constitutum; quare dicendum est, solem hunc esse illum, de quo Malachias (c. 4.) *Orietur vobis timetibus nomen meum sol iustitiae*: hoc splendidissimo sole induebat beata Virgo, ut non obscure Isaia (c. 61) in persona eius praedixit: *Exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, et indumento iustitiae circumdedit me*: seu (ut LXX. transtulerunt) *Induit me indumentum salutis, et tunicam laetitiae*: immo alii vertunt, quod nostro argumento accommodatus est: *Induit me vestimentum Iesu*: ad quod videtur Paulus respexisse, cum (Rom. 13) dixit: *Induimini Dominum Iesum Christum*. Merito quidem Christus Dominus indumentum beatae Virginis dicit potest; tum quia sicut vestis fovet, et protegit corpus, ita Filius Matrem, ut vestis, fovit, et ut murus protegit, Isaia dicente (c. 26): *Virgo fortitudinis nostrae Sion, Sateator ponetur in ea, murus, et antemurale*: et quemadmodum qui indutus est vestibus, non sentit pondus illud, ac molestiam, quam experitur ille, qui vestes involutas, quasi sarcinam, humeris portat; sic beata Virgo, dum gravida erat, nullam in baiulando Christum difficultatem sentiebat, ut testatur d. Bernardus.

Sed iam eiusdem Bernardi varias, ac perpulchras expositiones, quibus amictum solis illustrat, subiiciamus. Sicut enim ait: sol, quasi universalis omnium parens, omnia suo splendore perlustrat et fovet; ita beata Virgo instar solis in omnes suae misericordiae radios diffundit: *Quemadmodum, ait Bernardus, ille super bonos, et malos indifferenter oritur; sic ipsa quoque praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus elementissimam praebet; omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu*. Deinde docet, amictum sole Deiparam firmam, ac stabilem eius sanctitatem significare: sicut enim soli splendor nunquam defuit; sic a beata Virgine fulgor sanctitatis nunquam abfuit: *In sole, inquit, nimirum, et fervor, et splendor stabilit; in luna solus splendor, atque is omnino instabilis, et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet*. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum; ut quantum, sine personali unione, creaturae conditio patitur, videatur immensa: illo nimirum igne prophetae labia purgantur; illo igne seraphini accenduntur; longe vero aliter Maria meruit, non velut summam tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tamquam ipso igne conclusi. Sed candidissimus sane, et candidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrorum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari. Ac tandem amictum sole Virginem, explicat per rubum illum Exodi ardentem, et non combustum, mysterium incarnationis in Virgine peractum, adamussim adumbrantem, ut com-

munis est Patrum sententia: unde ipse admirans, quod fragilis naturae foemina intra solis ardores subsistat, inquit: *Magna sane visio, rubus ardens sine combustione; magnum signum, mulier illaesa manens amicta sole, non est rubi natura, operum undique flammis, mirum nihilominus incombustum; non est virtus humanae, sed nec angelicae quidem; sublimior quaedam necessaria est*. Spiritus sanctus, inquit, supererect in te, et tempus respondent illa: quoniam Spiritus sanctus est Deus, et Deus noster ignis consumens est; et virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi. Sed merito quispiam percontabitur, quomodo haec duo inter se cohaereant, mulier amicta sole, et simul ab eo obumbrata: nam sol splendorem inducit, umbra vero carentiam eas infert. Indum hunc solvi posse arbitror in primis per hoc, quod quemadmodum de Deo dicuntur haec duo, et quod lucem habitat inaccessibilem, et quod posuit tenebras latibulum suum: quia videlicet, quamvis ob infinitam perfectionem, summamque eius intelligibilitatem luc fulgentissima sit; tamen ob incomprehensibilitatem inaccessibilis est, et tenebrosa caligo mentibus creari apparet, ut ingeniose interpretatus est d. Gregorius Nazianzenus (lib. 2. de Theol.): sic procul dubio beatissima Virgo ob illustrissimum, ac splendidissimum incarnationis mysterium in virgineo eius thalamo operatum, amicta sole visa est; quia tamen mysterium comprehendere non potest omnino, obumbrata dicitur, et quasi caligine, et tenebris circumfusa. Atque haec ratione merito beata Virgo a propheta Abacuch (cap. 3) *Mons umbrosus vocata est; nam ubi Vulgata nostra legit: Deus ab austro venit, et sanctus de monte Pharan*: LXX. vertuntur: *Ab austro venit, et sanctus de monte umbroso*: idem etiam adstruit inscriptio, seu titulus illius cantici, qui in hunc modum habetur: *Oratio pro ignorantibus, seu, pro ignorantibus*: innocens sane per haec verba, nisi fides tanti mysterii angelis, et hominibus prae-lucere, tam humanis, quam angelicis mentibus semper ignotum fuisse. Sed ex d. Bernardo (serm. sup. sign. mag.) aliter propositae difficultati satisfieri potest: putat enim, non solum sole amictam, et pariter obumbratam esse inter se non pugnare, sed potius unum velut adminiculum alterius esse: umbra enim illi profuit, ut fervorem ardentis solis sustinere possit; unde ait: *Nihil itaque mirum, si sub tali umbraculo talis etiam a muliere sustineatur amictus*: sicut enim olim adminiculo viri tribus pueris in fornace ardenti ventus roris flantis, ut absque laesione excessivum calorem ignis sustinere possent, ita umbraculum, quo Spiritus sanctus opernit beatam Virginem, praesentissimum fuit ei adminiculum, ut Solis iustitiae eam ambientis ardore sustinere possent.

Verum, ut secretiora alia magis recondita mysteria in hac mirabili Ioannis visione detegamus, observare oportet, trifariam sacram Scripturam signum usurpare. Primo, ut idem polleat, quod miraculum, seu prodigium; in quo sensu David (Psal. 134) dixit: *Misit signum, et prodigia in medio tui Aegypte*; et d. Lucas (Act. 5): *Per manus autem apostolorum fe-*

bant signa, et prodigia multa in plebe. Secundo accipit signum pro verrillo, ut habetur apud Isaia (c. 3): *Elevabit signum in nationibus, idem, verrillum, ut omnes interpretantur*. Tertio tandem sumit signum pro scopo, ad quem tendit sagittarius, ut videre est apud Ieremiam (Thren. 3): *Tendit arcum suum, et posuit me, quasi in signum ad sagittam*. Iob etiam ait (c. 16): *Confregit me, et posuit me sibi, quasi in signum, in quod scilicet omnia tela sua coniceret*: unde statim subingit: *Circumdedit me lanceis suis*: et in hoc sensu praedixit Simeon de Christo (Luc. 1): *Hic positus est in ruinam, et resurrectionem multorum, et signum, cui contradicetur*. His praelibatis, haud difficile erit demonstrare, quam egregie his tribus modis beata Virgo signum magnum compelleret: nam imprimis, ipsam divinae gratiae prodigium, et miraculum existeret, unanimes consensu fatentur Patres, edocuit tamen a Moyses, qui cum videret rubum ardentem, et non combustum, beatam Virginem praesignantem, dixit: *Vadam, et video visionem hanc grandem, id est prodigiosam, et portentosam; tum a magno illo Dionysio Areopagita, qui cum primum vidit beatam Virginem, continuo ob magnitudinem prodigii, quod propriis oculis intuebatur, dixit: nisi fides sibi obstarat, tamquam Deum illum adoraturum*. D. Iguatius (in ep. ad Ioan.) vocat illam, divinae gratiae monstrum: *Haec, et alia exaltate viderat nostra, et cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas sit fieri, sacratissimi monstri, et coelestis prodigii*. D. Ephrem (or. in laud. Virg.) appellat illam: *Praestantissimum orbis terrae miraculum*: quo etiam nomine eandem coonestant d. Epiphanius (ser. de laud. Deip.), et Chrysostomus (serm. de B. V.): immo d. Damascenus, non contentus, ut alii Patres, vocare illam, stupendum miraculum, eam compellat: *Miraculum omnium miraculorum maxime novum, et miraculorum abyssum, ita ut in ea, tamquam in abisso summae profunditatis, pene innumera confluent miracula, quae velut in abisso latitantia, nequeunt omnino penetrari*. Quia tamen inter miracula quaedam dicuntur talia, facta comparatione ad opera naturae, quaedam, quod excellentius est, per comparationem ad alia opera gratiae; certe beata Virgo intra latitudinem operum gratiae, stupendum miraculum est. Pro cuius maiori intelligentia observare oportet, quod ut d. Thomas docuit, miraculum dicitur ab admiratione, quae congruit, cum effectus est manifestus, et causa laet, miraculum esse, sed illud dumtaxat, quod totam facultatem naturae excedit: nam quae ab oculis naturalibus nascitur oriuntur, non miracula, sed mirabilia nuncupantur. Requiritur etiam ad rationem miraculi, ut non fiat a Deo secundum legem ordinariam; alioquin omnis iustificatio impii miraculosa esset, cum excedat omnes vires naturae. Hinc facile colligitur, nomine miraculi inter omnes sanctos solam Virginem coheserari mereri; utpote, quod non solum totum ordinem naturae transcendat, sed inter omnia opera gratiae ita magnum portentum sit, ut angelici etiam spiritus in admittentem rapti dixerint (Cant. 8): *Quae est i-*

sta, quae ascendit de deserto, doleris affluens? quem angelicum stuporem delineatum video in cherubinis illis, qui iuxta propitiatorium existentes, admirabundi mutuo se conspiciant: unde d. Epiphanius (ser. de laud. Deip.) exclamavit: *O Virgo sanctissima, quae exerecitus angelorum in stuporem duxisti: stupendum enim est miraculum in coelis, mulier amicta sole; stupendum miraculum in coelis, mulier portans lucem in ulnis; stupendum miraculum in coelis, alter thronus cherubicus*. Quibus non immerito adiungi potest aliud inauditum, quod refert d. Basilii, dum ait: *Miraculum vidit creatura, quod antea visum erat nusquam, nempe prolem, quae suae matris erat parens, et infantem, qui gratiecum aetate longe antebat*. Tandem d. Damascenus (orat. 2. de Nativ. B. Mar.) acule salis vocavit illam non solum, miraculum, sed miraculorum officinam; quo clarissimo etiam nomine illam vocavit Andreas Ierosolimitanus (ser. in salut. Deip.), et Arnoldus Carnotensis (tract. de laud. Mar.): ut enim artifices consueverunt officinas habere, quibus eximia eorum opera asservantur; ita supremum miraculorum artificem Deum voluit sibi specialem officinam extruere, beatissimum scilicet Virginem, in qua magis prodigiosa eius miracula reperirentur: ibi unio adest hypostatica Dei, et hominis, quae nihil sublimius dici potest; ibi extremorum infinite distantium artissima copulatio: ibi praesubsistentis personae vera generatio: ibi tandem Virginis integerinnae conceptus, et partus. Quod, tamquam miraculosum, ac prodigiosum valde signum praedixerat Isaia (c. 7): *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*: quibus non obscure indicavit, divini Verbi incarnationem in thalamo virgineo comprehendere universa miracula, quae sive in inferno deorum, sive in coelo sursum ab Achaz ad libitum efflagitari potuissent: quod, ut verissimum esse ostendamus, revocate, queso, in memoria, quod tempore Ezechiae regis contigit, cum in horologio Achaz patris sui sol decem lineis retrocessit, divinam de Ezechiae vita proroganda pollicitationem confirmans. Hoc prodigium, nemo sane inficiabitur, in officina b. Virginis veritas patrum esse. Illa enim tuit, velut horologium quoddam solare, quod Christi Solis iustitiae, et altitudinem, et declinationem monstravit. In hoc horologio ipse Sol iustitiae decem lineis retrogressus est, quia minutus paulo minus ab angelis, per novem eorum ordine descendens, ad decimum usque humanae naturae lineam se demisit: ecce miracula de coelo sursum in Virginis officina restaurata! Ut tamen videamus, quae in inferno deorsum patrantur, in ea etiam innovata, observandum est, Christum Dominum esse summum, ac supremum omnium miraculum, ut ipse de se fateatur (Ps. 70): *Tamquam prodigium factus sum multis*: Caietanus legit: *miraculum factus sum multis*: quibus verbis, ut colligitur ex his subsequentibus: *sed in adiutor fortis*, aperte significare voluit regius Vates, Christum Dominum insigne fuisse exemplum divinae iracun-



diae adversus peccatores, cum in eum, qui naturalis Filius Dei erat, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, eo quod eorum peccatorum fideiussor esset, pene innumera tormenta irruerunt, quibus aperte portendit, acerbiora futura esse supplicia, quae apud inferos sustinenda peccatores manent (Luc. 23): *Nam si in ligno viridi haec faciunt, quid fiet in arido?* Atque in hoc sensu Isaiam multa parientem sacra Scriptura vocat portentum (Is. 20): *Ambulavit serpens meus Isaias nudus, et discalceatus, trium annorum signum, et portentum erit super Aegyptum.* ecce in b. Virgine utraque signa, et miracula, praecipue sive quae in caelo sursum, sive quae in inferno deorsum desiderari possent, patrata sunt.

Porro iam ad secundam signi acceptionem veniamus, qua idem significare diximus, quod vexillum. Sane, si rem alius contempler, non incongrue dicemus beatam Virginem vexillum: nam praeterquamquod fidei vexillum fuit adversus haereticam pravitatem, catholica Ecclesia dicente: *Cunctas haereses sola intermisti in universo mundo:* unde s. Cyrillus Alexandrinus (ep. 5. con. Nestor.) illum ingeniose appellavit, *sceptrum orthodoxae fidei;* et merito quidem, quia duo praecipue capita omnium haeresum sunt, oppugnatio scilicet sanctissimae Trinitatis, et incarnationis: quae tamen duo mysteria ex Virgine magis stabiliantur: nam eo ipso, quod Mater Filii assertur, simul et divinarum personarum pluralitas, et Verbi divini incarnatio, ut supra dicebam, adstruitur: praeterquam etiam quod beata Virgo vexillum nostrae defensionis dici potest, quo omnes praesidii causa in omni genere pressurae confugiunt; ut ad eam referre liceat illud Davidis (Ps. 59): *Dedisti eis significationem:* vel, ut ex hebraeo, alii cum Rabbi David vertunt: *Dedisti eis vexillum, ut fugiant a facie arcus;* hoc est, vel, ut a divini furoris, vel hostilis infestationis sagittis, protegantur. Praeterquam, inquam, quod gemino hoc tituli vexilli nomine insigniri meretur beata Virgo, eo tamen praecipue nomine vocari debetur, quod vexillum omnipotentiae Dei existit; unde, ubi nostra vulgata in persona beatae Virginis legit: *ordinavit in me charitatem* (Cant. 2), alia vertit lectio: *erexit in me vexillum:* hoc autem fuisse vexillum potentiae Dei, ipsa indicavit dicens (Luc. 1): *Fecit potentiam in brachio suo:* hoc est, brachium divinum in mysterio incarnationis, quod in visceribus meis celebratum est, totam potentiam suam ostentavit. Unde hac ratione crediderim, Ieremiam (c. 18) operi figuli illud recte comparasse: *Descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus super rotam, et dissipatum est vas, quod ipse faciebat et luto manibus suis, conversusque fecit illud, vas alterum, sicut placuerat in oculis eius:* in quo typus hominis lapsus, et restauraionem egregie exprimi reor. Vere enim homo, quem Deus de limo formaverat, vas erat fictile, quod cito adeo fractum est, ut adhuc volvente rota confraetum fuisse dicatur: idcirco enim subiungit (ibid.): *Faciebat opus suum super rotam, et dissipatum est:* verum eo fracto, figulus divi-

nus alterum vas longe pulcherrimum, Christum videlicet Dominum, efformavit, in quo genus humanum in primo Adam dissipatum, in secundo instauraretur. Ad quod sane alludere videtur Ecclesiasticus (c. 38), cum loquens de figulo ait: *In brachio suo formavit lutum, et ante pedes suos curvabit virtutem suam:* quibus verbis aperte innuit, Deum in opere incarnationis omnipotentiam suam usque ad ultimum flexisse, et curvasse, ut tantum opus omnibus numeris absolutissimum prodiret. Cum igitur inter omnia divina opera praestantius omnibus incarnationis mysterium, quod in beata Virgine operatum est, Dei omnipotentiam ostendat, merito in ea divinae potentiae vexillum erectum fuisse dicemus: idque non parum congruit vulgatis verbis Isaiae: nam ubi nostra Scriptura legit: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, in hebraeo est vox quaedam, quae simul significat vexillum, ut patet (Numer. 2): Singuli per turnas, signa, atque vexilla, et donos cognitionem castrametabantur.* Aliter etiam explicare possumus, beatam Virginem vexilli nomine insigniri debere: quia quemadmodum in arca aliqua erigi solet vexillum, ut victoria ducis omnibus innotescat, ita b. Virgo amoris vexillum erexit, ut versio Pagnini habet, qui in praefato loco: *Ordinavit in me charitatem, legit: Vexillum super me, amor.* D. Hieronymus (ser. de ass. B. V.) excellenter amorem, qui in dilectum Filium Virgo sanctissima rebebat, contemplant, dixit: *Totam incandescerat eam divinus amor, ut nihil esset in ea, quod mundanus violaret affectus, sed ardorem tantum ebrietas perfusi amoris: et d. Anselmus (libro de excellentia beatae Virginis): Excedit: inquit, omnes amores parentum in filios, aut filiorum in parentes, amor istius Matris in Filium suum, et istius filii in matrem suam.* Cuius eam praecipuam rationem existimaverim, quod sicut alii filii partim accipiunt a patre, partim a matre, ita divisum habent amorem, ut partim patri, partim matri exhibeant; at, cum Christus Dominus esse hominem accepit, ut a matre sine patre humano, certe, sicut totum hoc esse accepit a matre, ita totum suum amorem illi impendit. Atque eadem ratione convincitur, maiorem fuisse amorem naturalem Virginis erga Christum, quam cuiuscumque alterius matris erga filium suum, quia ipsa plus substantiae suae exhibuit in generatione Christi, quam aliae matres ex virili semine concipientes, quod in substantiam genitae prolis cedit. His amoris armis beata Virgo potentissimum Deum ita fortiter devicit, ut, qui in Patris sinu residebat, usque ad virginem thalamum suum fecerit demitti. Hanc Virginis victoriam ingenue fatetur Filius Dei dicens (Cant. 4): *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum in uno crine colli tui:* LXX. legunt: *Excorasti, et stupescisti me, hoc est, cor meum mihi eripuisti, et insigne hoc victoriae genus stupet me.* Atque hinc facile erit interpretari, quare beata Virgo Filium suum vocavit cor (Cant. 5): *Ego dormio, et cor meum vigilat, scilicet, ad custodiendum me.* Cum enim ipsa cor dilecto crispisset, nunquam per amoris transformatio-

nem fecisset, ideo illum vocabat cor suum: et quidem adeo suum, ut si quis deinceps illum a se auferre moliretur, perinde fuisset, ac et ipsi proprium cor abstulisset, vitamque suam eripisset. Sed sequentia verba, nimirum (Cant. 4): *In uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui, victoriam hanc amoris beatae Virginis, quam de delicto tulit, apertius manifestant.* Sicut enim in bello prius quis vincitur, postmodum capitur, deinde tamquam captivus ligatur: ita hoc loco dilectus fatetur, se sponse oculo, tamquam telo, vulneratum, ac deiectum, deinde instar captivi crinibus eius, velut funibus ligatum: reddidit autem illustrior, et gloriosior haec victoria, cum b. Virgo non opus habuerit utroque oculo, velut duplicatis armis, sed uno simplicid taxato oculo ad potentissimum regem devincendum, nec etiam opus fuerit ei omnibus suae caesariae crinibus, aut capillis, sed uno solum crine, atque fragillissimo eum ligare. Atque hoc tendunt verba sponsi b. Virginis dicentis (Cant. 7): *Comae capitis tui, sicut purpura regis, vincla canalibus: vel ut ingeniose verteretur LXX. Interpretes: Caesaries comae, capitis tui, sicut purpura regis, ligatus in canalibus.* Comparat crines sponsae canalibus, quia crispantes capilli persimiles videntur undantibus aquis per canales quasi crispato motu decurrentibus. In suis ergo crinibus b. Virgo ligavit regem, et quasi captivum in carcerem sui ventris deiecit, quod opus tantae fortitudinis fuit, ut, iam Salomon (Prov. 31) curam illam mulierem fortem inveniendi deponere possit: *Mulierem fortem quis inveniet?* haec enim fortissima foemina fortissimum Leonem de tribu Iuda devicit, et quasi triumphans, vexillum amoris, quo eam superavit, in sublime erexit.

Tandem ad tertiam signi acceptionem accedentes, secundum quam sumitur pro eodem quod scopus. Sane b. Virgo posita fuit, non sicut ac Filius eius, in scopum, et signum, cui contradicatur: quod duplici praecipue loco praefiguratum reperio; tum Apoc. 13, ubi dicitur: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, et tabernaculum eius, id est, beatam Virginem, sacrosanctum Christi tabernaculum;* de qua propheta dixerat (Psal. 43): *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus; sic enim hunc locum interpretantur d. Athanasius (in evang. de Deip.), et Methodius (in hypop. Dom.);* tum ubi mentio fit petrae illius, ex qua exivit aqua contradictionis: *Haec est, ait sacer textus (Num. 20) aqua contradictionis, ubi iurgati sunt filii Israel contra Dominum.* Doctissimus Abbas Guericus (ser. 2. de Annun.) ex Isaia colligit, nomine petrae b. Virginem adumbratam fuisse: *Emitte, inquit, agnum Domine, dominatorem terrae, de petra deserti, hoc est, absconde petram de petra, sanctum, et inciolabilem, sancta, et innoculata proferat virginitas: ex hac ergo petra, nempe b. Virgine, egressa fuit aqua contradictionis, in qua iurgati sunt fere omnes haeresiarchae contra Dominum, ut a principio instauracionis mundi praedixerat Deus serpenti (Genes. 3): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et semen tuum, et semen illius: haeretici autem semen sunt serpentes an-**

tiqui; impudentissime enim in beatissimam Virginem varia opprobriorum tela coniecerunt, ut auctor est d. Bernardus (in ser. sup. sign. magn.): nam explicans verba illa, *Signum magnum, inquit: Ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpents antiqui caput virtutis pectus contritura, cuius plume calcaneo in multis versutibus insidiatus est, sed sine causa: sola enim contricit universam haereticam pravitatem; alius, non de substantia carnis suae Christum edidisse dogmatizabat; alius, parvulum non peperisse, sed reperisse sibillabat; alius, vel post partum viro cognitam blasphemabat; alius, Dei matrem audire non sustinens, magnum illud nomen, Theotocos, impudens sibillabat.* Ceterum hos omnes, quos d. Bernardus commemorat, non obscure indicat d. Ioannes, nihil beatae Virginis nocuisse, dum ait (Apoc. 12), illum in caelo visum esse: *Signum magnum apparuit in caelo.* Sagittae enim, quantumcumque potentissimo icu sursum dirigantur, coelum pertingere non valent; nec, si pertigissent, foemina intra caelos inclusam laedere ultra ratione poluissent, cum oporteret prae coelum ipsum penetrare, quod acutissimae etiam sagittae impossibile est. Unde opus est, ut sagittae ab his infestissimis sagittaribus in Virginem inverecunde immissae, in ipsisurum capita recedentes, relorqueantur: quare Bernardus (prae. loc.) subdit: *Contriti sunt insidiatores, conculeati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes.* Hunc enim inflicere exitum beatae Virginis impugnationis habituros, egregie praefiguravit thronus Salomonis, beatam Virginem, thronum veri Salomonis adumbrans, quem, ut sacra 3. Regum narrat historia, duodecim leones, seoi ex utraque parte, per se gradum ambebant, ut inter leones sibi succedendum persaderent, quicquid ad hunc Christum thronum labefactandum accedere staterent, a quibus mox corripiendi, ac dilaniandi essent.

Sed iam explicemus, quam egregie signum illud Ioannis apparuisse in caelo, b. Virginis in die, quod in ea Verbum caro factum est, conveniat: sicut enim Virgo ab astrologis inter duodecim zodiaci signa connumeratur, ita dilectus Ioannes, quasi ad id alludens, vocat beatam Virginem, *signum magnum coeleste, prae caeteris omnibus admirabile:* et merito quidem; quia sicut sol, dum intrat signum leonis ardentissimus est, et animalibus officit, excessus tamen ardoris illius per ingressum in signum virginis temperatur; ita Deus ante incarnationis mysterium in Virginis thalamo peractum, quasi signum leonis iustrans, instar rugientis leonis, terribilis erat, et Deus ultionum nominabatur: *Ego ero eis sicut leaena* (Osee 13); at, cum primum ingressus fuit in signum virginis, ex Virgine carnem assumens, irae ardorem mitigavit, et iam non leo, sed agnus appellatur: *Ecco Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* iam non Deus ultionum, sed Deus misericordiarum, et totus consolator a Paulo (2. Cor. 1) vocatur. Illud tamen silentio praeterendum non est, quod ad praedicta confirmanda non parum proderit, signum coeleste, quod Virgo nominatur, inter leonem,



et libram constitui; id enim ob oculos nobis ponit, beatissimam Virginem inter leonem, et libram collocatam, illius iram mitigare, et iustitiae istius rigorem temperare: quid enim supplicii non inferret leo librae coniunctus, hoc est, Deus iratus, et insuliam exercens, per libram significatam? et quidem, quod beata Virgo Deum iratum mitigaverit, ex rhinocerotis pulchra similitudine, qua usus est Moses in benedictione Ioseph, Christum praefigurantis: *Quasi primogeniti*, inquit (*Deuter. 33*), *tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis, cornua illius, in ipsis ventilabit gentes, usque ad terminos terrae*, facile deprehenditur. Narrat divus Gregorius (33. *Mor. c. 13*), rhinocerotem tanta fortitudinis praeditum esse, ut nulla vi capi possit; sed miro hoc artificio opus est, nimirum, ut virgo ei puella ante oculos proponatur, quae venienti gremio parat, in quod ille, omni deposita ferocitate, veluti agnus mansuetus, caput reclinat. Certe Deus ante incarnationem, velut rhinoceros erat, qui cum elephante bellum gerens, cornu ventrem eius dirupit; tunc enim insuperabilis erat, et de omnibus vindictam sumebat; ad aspectum tamen beatae Virginis, eius amore captus, ita mansuevit, ut in gremio thalami virginis caput reclinans, talis postea inde prodierit, ut ab omnibus capi, vinci, immo et vinciri passus fuerit. Illud etiam praeterire non licet observatione dignum, in eo etiam hoc signum Virginis admirabile fuisse, quod licet solaris planeta in signum Virginis intrans, inde exeat, non enim in eo semper moratur; postquam tamen Sol insuliam semel per incarnationis misericordiam in Virginem fuit ingressus, nunquam amplius inde exierit; quia licet secundum carnem per virginalem partum egressus fuerit, secundum spiritum vero a Virgine nunquam recessit, unde Virgo leonis iram, hoc est, divini furoris in homines exardescens rigorem semper mitigat; immo, usque adeo Deum iram deponere fecit, ut manus sibi omnino teneri, vinciri, immo, et in cruce fixa esse voverit, ne ad evaginandum iustitiae ensem eas movere illa ratione posset. Atque hinc est, quod olim plena utraque manu punire solebat: decem enim plagis percussit Aegyptum, quasi utraque manu in decem digitos extensa in Aegyptum animadvertens: ceterum post incarnationem, manus non extendit ad vindictam, sed expansas legitimis in cruce pro reconciliandis inimicis, Patrem exorans (*Luc. 23*): *Pater, ignosce illis*.

Verum, ne in propositis verbis Ioannis quidquam explicandum desideretur, duo potissimum nobis exponere incumbit; primum est, quod Ioannes beatam Virginem, lunam pedibus calcantem, et caput eius corona duodecim stellarum redimitum viderit. Lunam enim inconstantiam, et mutabilitatis symbolum fuisse non pauca ostendunt; nunc pulchra, nunc quasi maculis foedata, nunc clara, nunc obscura redidit: unde Ecclesiasticus (*e. 27*) dixit: *Homo sanctus in sapientia, manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur; altitudi ad discernim, quod inter motum lunae, et solis versatur: nam huius motus regularis valde est, iter suum sem-*

per faciens per lineam eclipticam; illius vero irregularis, et difformis: luna insuper secundum situs positionem instabilis est; modo enim elevatur, modo se demittit: in figura etiam uniformitatem non servat; hodie rotunda, cras cornuta, nunc plena, nunc semiplena comparat, ut Ovidius (15. *Melamorph.*) dixerat:

Nec par, aut eadem nocturnae forma Dianae  
Esse potest usquam, semperque hodierna sequente,  
Si crescit, minor; maior, si contrahit orbem.

Atque hinc est, ut ab ea per hanc instabilitatem, et diversarum rerum vicissitudinem, mundus significetur, quem adeo mutabilem iudicantur d. Paulus (1. *Cor. 7*), et d. Ioannes (*c. 2*), ut ille dixerit: *Præterit figura huius mundi*; hic vero: *Mundus transit, et concupiscentia eius*. Quare Mantuanus poeta hanc rerum volubilitatem, quam frequenter in hoc saeculo intuemur, contemplanis, dixit, nobiscum fortunam ludere, et iocari:

Ludus fortunae variatur imagine lunae.  
Crescit, decrescit, in eodem sistere nescit.

Deiparam ergo Virginem lunam pedibus calculare, nihil aliud est, quam ipsammet terrenam despiciere; ita ut melius, quam d. Paulus (*Philip. 3*), dicere possit: *Omnia arbitrata sum, ut stercorea, ut Christum lucrifaciam*; et veracius, quam David (*Psal. 72*): *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Habet etiam Deipara Virgo Lunam mutabilem sub pedibus eius, ad significandam eius in fide immobilitatem: deficientibus enim in ea multis ex discipulis, aliis vacillantibus, ipsa tamen immobilis Ecclesiae columna in fide firmissima semper persistit. Tandem iam exponamus, quid sit, beatam Virginem coronam ex duodecim syderibus contextam capite gestare. Trifariam hanc coronam explicare possumus. Primo, ut quemadmodum d. Paulus (1. *Thessal. 2*) discipulos suos coronam, et diadema suum vocabat: *Gaudium meum estis vos, et corona mea*. Secundo putaverim per hanc coronam non incongrue significari eos, qui specialem devotione, et cultu b. Virginis addicti sunt. Pro cuius intelligentia observare oportet, quod cum Dominus praedixit Abrahae, multiplicatorum sibi filios, sicut stellas coeli, et sicut arenam maris, id procul dubio indicare voluit, quod ex ingenti illa filiorum multitudine quidam, prae gravi peccatorum pondere, velut arenam, deorsum decensuri; alii vero, velut fulgentissimae stellae gratiae fulgoribus coruscantes, sursum erant ascensuri: ex his ergo, velut ex splendidissimis syderibus, contextam vidit Ioannes coronam, qua cingebatur caput b. Virginis: nam si, ut ait Salomon (*Prov. 13*): *Filius sapiens est gloria patris*; quidni filii sancti gloria, et corona erunt matris? Tertio, quod et in magnam Virginis laudem cedit, apie satis existimo, has duodecim stellas, quibus virgineum diadema textitur, esse duodecim virtutes, per duodecim signa zodiaci egregie adumbratas, quae in coelo hoc animato b. Virginis emicaverunt. Prima fuit *magnanimitas*,*

quia nunquam in diversa mutata, sive in prosperis, sive in adversis, non minus in his, quam in illis, semper Deo adhaerens, iuxta illud (*Proverb. 12*): *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit*. Haec per signum arietis figuratur, quem novimus uniformiter dormire super latus dexterum, et sinistrum; sex mensibus supra hoc, et sex supra illud; unde astrologi ansam sumpserunt primum illud signum arietem vocare, quia cum sol domum eius ingreditur, aequalis est nox diei. Secunda virtus est *perseverantia*, quae invincibilem, ac insuperabilem illam reddebat: hanc adumbrat signum tauri, cuius maxima fortitudo omnibus nota est. Tertia ardentissima *charitas*, quae non solum ad Deum, sed ad proximos extenditur; quia, ut inquit Gregorius (*ho l. 17*), *minus, quam inter duos haberi charitas non potest*. Hanc clare delineat signum gemini, dualitatem importans. Quarta *obedientia*, quae abnegatione voluntatis cum retro incedere compulsi, per canerum animal optime figurata, quod retrorsum incedit, contra reliquorum animalium consuetudinem, quae ante faciem suam ambulat. Quinta assidua *vigilantia* contra daemonem, calcaneo eius insidiantem, quam signum leonis adummissum refert, cuius, ut observavit Plutarchus (4. *simp.*), oculorum palpebrae sunt adeo breves, et curvae, ut pupillam operire non possint, unde cogitur apertis oculis obdormire; cuius causa antiqui, tamquam symbolum vigilantiae, illum usurparunt. Sexta illibata *virginitas*, quae in perpetua, et plusquam angelica puritate eam continuit, omnem ardoris libidinem perfecte adeo suppressit, et neque ullam eius motum excitari permittere: haec, quis non videat, per signum virginis, quod est unum ex signis zodiaci, congrue significari? Septima *iustitia*, cuius proprium est unicuique quod suum est, tribuere, per signum librae optime significatur, quia statera mensura est ad mensurandum unicuique, quod sibi iure debetur. Octava *paupertas* spiritus, de qua Christus Dominus (*Matth. 5*): *Beati pauperes spiritu*, per quam ardens mundi amor tepescit, et terrenis cupiditatibus moritur. Haec significatur per signum scorpii, cuius haec est natura, ut veneno suo cor eius, quem mordet, infrigidet, et mortem inducat; unde, cum sol incipit hoc signum ingredi, incipit etiam frigus in nostro hemisphaerio vigere. Nona *oratio humilis*, quae ex pharetra cordis divino amore accensi ardentem sagittam ad divinum cor emittit, adummissum sane adumbrata per signum sagittarii. Decima altissima *contemplatio rerum coelestium*, quae usque ad conspectum Dei, et limpidiorem cognitionem, quam fuerit Moysis, et Pauli in rapto, illam evehit; haec satis, superque significatur per signum capricorni, nam huiusmodi animal visu perspicacissimum est; indeque *capra* graece dicitur, a *videndo*, quia potentia visiva in ea maxime viget. Undecima *pietas*, de qua d. Paulus (1. *Tim. 4*): *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est*: haec quidem, cum animam ad multiples bonorum operum factus in lucem educens foecundet, concinne satis praenotatur in signo aquarii, cum aqueum

elementum terram foecundet, et arbores varios fructus producere faciat. Duodecima tandem *stella devotio* fuit cum dulcissima lacrymarum effusione, in qua ipsa nutritur, et crescit, quae per signum piscis nonnisi in aqua degere possit. His ergo omnibus virtutibus, tamquam fulgentissimis syderibus, contexta fuit beatissimae Virginis corona. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XVII.

*Ostendimus adversus impium haeresiaracham Nestorium, Virginem non solum Matrem Christi, sed pleno ore, Dei Genitricem, esse appellandam, in illa verba: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: pariterque deteguntur calumniae eiusdem Nestorii, quibus catholicam hanc veritatem labefactare tentavit.*

Antiquus ille serpens adversus veram Christi carnem tot venenosus haeresum halitus per totam Europam effudit, ut si omnes recensendi mihi essent, non posset absque ingenii gravolentia, supervacaneoque labore, necnon piorum auditorum offensione praestari: quare consulto, silentio praeteriens detestandos errores, quos adversus veram Christi humanitatem, veramque Mariae erga illum maternitatem, impie, ac petulantur confinxere Manichaei, Procligneiani, Cerdoniani, Anabaptistae, Valentiani, Eulybionae, Eutychniani, necnon Marcion, Apollinaris, et Apelles, catholica dogmata istorum omnium nefarios errores inguliantia, inconcussa fide amplectenda, in medium producam, et sacrige eloquii, ac sanctorum Patrum monumentis comprobabo. Primum est, b. Virginem proprie, ac vere Matrem fuisse Christi Domini, utpote quod ex propria substantia illum hominem genuerit. Hoc palam confessi sunt antiqui Vates: nam David (*Psal. 70*) dixit: *De ventre matris meae, Deus meus est ut: et Isaias (c. 9) inquit: Ecce Virgo concipiet, et pariet filium: et c. 11). Egre dicitur virga de radice Jesse, et flos, vel ut alii legunt, germen, de radice eius ascendet. Ut enim Tertullianus (de ver. Christi. cor.) explicat, per virgam de radice Jesse Mariam ex Davide, qui filius fuit Iesse, per florem vero, seu germen, Christum eius unigenitum intelligit: quare sicut germen de natura eiusdem virgultii prorumpit, similemque naturae formam ab eo accipit, ita Maria, tamquam vera Christi Mater, veluti virga florem germinans, e suae carnis substantia hominem filium sibi similem procreavit. Sacri deinde evangelistae idipsum testantur aperte, nam (*Lucas 1*) Elisabeth divino Spiritu afflata dixit: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* et (*c. 2*) habetur: *Simcon dixit ad Mariam matrem eius: et angelus idem apud Mattheum (c. 1. 2) ait: Accipe puerum, et matrem eius, et alibi (Ioann. 2): Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Ioannes etiam inquit (c. 2): Et erat**